



# The Holy See

---

LITTERAE APOSTOLICAE  
MOTU PROPRIO DATAE\*

***EPISCOPALIS POTESTATIS***  
NORMAE EPISCOPIIS ECCLESiarUM ORIENTALIUM,  
AD FACULTATEM DISPENSANDI SPECTANTES,  
IMPERTIUNTUR.

**PAULUS PP. VI**

Episcopalis Potestatis quae sit amplitudo dilucide definitur a Concilio Oecumenico Vaticano II, quod Nobis feliciter contigit inceptum proseguere et claudere, praesertim in Decreto a verbis *Christus Dominus* (Cf AAS LVIII (1966), pp. 673-701) incipiente. In hoc enim Decreto, n. 8, quae sequuntur legimus:

a) *Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in dioecesibus ipsis commissis per se omnis competit potestas ordinaria, propria ac immediata, quae ad exercitium eorum muneris pastoralis requiritur, firma semper in omnibus potestate quam, vi muneris sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi.*

b) *Singulis Episcopis dioecesanis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi fideles in quos ad normam iuris exercent auctoritatem, quoties id ad eorum bonum spirituale conferre iudicent, nisi a Suprema Ecclesiae Auctoritate specialis reservatio facta fuerit (Ibid., p. 676).*

Quod praescriptum ut ad effectum adduceretur, die XV mensis Iunii superioris anni Litteras Apostolicas dedimus de Episcoporum muneribus (Cf AAS LVIII (1966), pp. 467-472), ubi pro universa Ecclesia Latina indicem statuimus legum generalium, quarum relaxationis onus Nobis reservabatur, hoc est legum a quibus dispensandis Apostolica Sedes se numquam non continuit, vel a quibus non nisi per errorem, ob res quae in humana consortione momentum obtinent, dispensare consuevit.

Eodem fere tempore, instante Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Cardinali Pro-Praefecto, vacationem legis, ad n. 8-b quod attinet, pro Ecclesiis Orientalibus prorogatam voluimus (Cf AAS LVIII (1966), p. 523), eam praecipue ob causam, ut similis index ad indolem Ecclesiarum Orientalium accommodatus aptius condi posset, quippe qui ob maiorem

disciplinae varietatem accuratiore indagatione indigeret.

Nunc autem, eadem Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali aliisque Officiis Romanae Curiae, Commissionibus Postconciliaribus atque Secretariatus auditis eorumque sententiis mature perpensis, certa scientia Suprema et Apostolica auctoritate Nostra, haec quae sequuntur pro Ecclesiis Orientalibus sive declaramus sive decernimus.

#### I.

Quas leges providentissima Mater Ecclesia Litteris Apostolicis *Crebrae allatae* (22 febr. 1949) (Motu proprio *De disciplina sacramenti matrimonii pro Ecclesia Orientali*: AAS XXXXI (1949), pp. 89-117), *Sollicitudinem Nostram* (6 ian. 1950) (Motu proprio *De Iudiciis pro Ecclesia Orientali*.— AAS XXXXΠ (1950), pp. 5-120), *Postquam Apostolicis Litteris* (9 febr. 1952) (Motu proprio *De Religiosis, de bonis Ecclesiae temporalibus, de verborum significatione*: AAS XXXXIV (1952), pp. 65-150), *Cleri sanctitati* (2 iun. 1957) (Motu proprio *De Ritibus Orientalibus, de personis pro Ecclesiis Orientalibus*: AAS XXXXIX (1957), pp. 433-600), pro Ecclesiis Orientalibus sanxit atque aliis deinceps editis documentis statuit nec revocavit, integras et sanctas declaramus, nisi eas Concilium Oecumenicum Vaticanum II aperte abrogaverit aut iis in quibusdam obrogaverit vel derogaverit.

#### II.

Episcopi dioecesani seu eparchiales intelleguntur non solum Episcopi residentiales, sed etiam alii ipsis in iure aequiparati (Decretum de past. Epp. munere in Eccl. *Christus Dominus*, n. 21: cf AAS LVIII (1966), p. 683). Quod postulant sive paritas iurium, quibus Episcopi eparchiales et alii fruuntur, sive communis eorundem iurium ratio, sive necessitas providendi bono spirituali fidelium. Quare hac dispensandi facultate gaudent etiam Exarchi cum territorio proprio (Litt. Ap. motu proprio d. *Cleri sanctitati*, can. 364, § 2: AAS XXXXIX (1957), p. 541), Exarchi Apostolici (*Ibid.*, can. 367, § 1), Exarchi patriarchales et archiepiscopales (ad normam cann. 388 et 391 Litt. Ap. m. p. d. *Cleri sanctitati*) (AAS XXXXIX (1957), p. 547), Administratores Apostolici permanentiter constituti (*Ibid.*, can. 355, § 1, 1).

#### III.

Dispensatio intellegitur *relaxatio legis in casu speciali*. Facultas vero dispensandi exercetur circa leges *praecipientes* vel *prohibentes*, non autem circa leges constitutivas.

In notione dispensationis minime continetur concessio licentiae, facultatis, indulti et absolutionis.

Leges ad iudicia spectantes, cum ad iurium defensionem sint constitutae, et ab iis dispensatio bonum spirituale fidelium directe non respiciat, non sunt obiectum facultatis, de qua agitur in Decreto *Christus Dominus*, n. 8-b (Cf AAS LVIII (1966), p. 677).

#### IV.

Nomine legis generalis Ecclesiae veniunt leges dumtaxat disciplinares, a Suprema Auctoritate ecclesiastica constitutae, quibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt; minime vero eae leges divinae, cum naturales tum positivae, a quibus unus Summus Pontifex — ubi potestate vicaria utitur — dispensare valet; quemadmodum fit in

dispensatione a matrimonio rato et non consummato, ab iis quae circa privilegium fidei versantur, et ab aliis.

## V.

Casus particularis spectat non tantum singulos fideles, sed etiam plures personas físicas, communitatem quandam sensu stricto constituentes.

## VI.

Fideles, in quos ad normam iuris auctoritas dispensandi exercetur, sunt fideles sive proprii sive alieni ritus, qui ratione domicilii vel alius tituli Episcopo subiciuntur (Litt. Ap. motu proprio d. *Cleri sanctitati*, can. 22: AAS XXXIX (1957), pp. 441-442).

## VII.

Ad dispensationem concedendam requiritur iusta et rationabilis causa, habita etiam ratione gravitatis legis, a qua dispensatur. Causa vero legitima dispensationis est spirituale fidelium bonum (Decretum de past. Epp. munere in Eccl. *Christus Dominus*, n. 8-b: AAS LVIII (1966), p. 676).

## VIII.

Salvis facultatibus quae Patriarchis, Archiepiscopis Maioribus, Legatis Romani Pontificis et Hierarchis legitime competunt, Nobis expresse reservamus dispensationes quae sequuntur:

1. Ab obligatione caelibatus seu a prohibitionem matrimonii contrahendi, qua diaconi et presbyteri astringuntur, etiam si ad statum laicalem legitime redacti aut regressi sint, in ritibus in quibus non admittuntur clerici coniugati (Litt. Ap. motu proprio d. *Cleri sanctitati*, can. 157, § 2: AAS XXXIX (1957), p. 477); in ceteris vero ritibus iidem, si caelibatum libere elegerint.
2. In ritibus in quibus non admittuntur clerici coniugati, a prohibitionem exercendi ordinem presbyteratus facta coniugatis, qui eundem ordinem sine dispensationem Apostolicae Sedis receperint (*Ibid.*, can. 72, § 2: AAS XXXIX (1957), p. 457).
3. A vetito, quod in clericos in maiore Ordine constitutos cadit, exercendi per se vel per alios negotiationem aut mercaturam, sive in propriam sive in aliorum utilitatem (*Ibid.*, can. 83).
4. A legibus generalibus, quae afficiunt monachos ceterosque religiosos uti tales, non autem quatenus iidem Patriarchis ac Hierarchis locorum ad normam iuris et praesertim Decreti Conciliaris *Christus Dominus* (nn. 33-35) (Cf AAS LVIII (1966), p. 690) subsunt, firma semper manente religiosa disciplina et salvo iure proprii Superioris. A ceteris legibus generalibus tantum si agatur de monachis Monasterii exempti, vel de religiosis Religionis clericalis exemptae pontificia exemptione.

5. Ab obligatione denunciandi sacerdotem reum delicti sollicitationis in confessione, ad normam Constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum Paenitentiae* (Die 1 Iunii 1741; cfr. Codex Iuris Canonici, Documenta, Docum. V, in AAS IX (1917), pp. 505-508).
  6. Ab impedimento aetatis ad matrimonium valide contrahendum, quoties aetatis defectus biennium excedit (Motu proprio *Crebrae allatae*, can. 32: AAS XXXXI (1949), p. 95).
  7. Ab impedimento matrimoniali orto ex diaconatu, vel sacro Ordine presbyteratus, vel ex sollemni seu maiore professione religiosa (*Ibid.*, can. 62, § 1 et can. 63).
  8. Ab impedimento criminis, de quo in canone 65, 2 et 3 (*Ibid.*).
  9. Ab impedimento consanguinitatis in linea recta et in linea obliqua usque ad tertium gradum (*Ibid.*, can. 66).
  10. Ab impedimento orto ex affinitate ex digeneia in linea recta (*Ibid.*, cann. 67 et 68).
  11. Ab omnibus impedimentis matrimonialibus, si agatur de matrimoniis mixtis, quotiescumque servari nequeunt condiciones iure requisitae (*Ibid.*, can. 51).
  12. A forma iure praescripta ad valide contrahendum matrimonium.
  13. A lege renovandi consensum matrimonialem in sanatione in radice, quoties:
    - a) requiritur dispensatio ab impedimento Sedi Apostolicae reservato;
    - b) agitur de impedimento iuris naturalis vel divini, quod iam cessaverit;
    - c) agitur de matrimoniis mixtis, cum servatae non fuerint condiciones iure praescriptae (*Ibid.*, can. 51).
  14. A poena vindicativa iure communi statuta, quae ab ipsa Sede Apostolica declarata vel inflictata fuerit.
  15. A tempore statuto pro ieiunio eucharistico. Normae de facultatibus dispensandi, Episcopis iuxta Conciliare Decretum *Christus Dominus* tributis, valere incipient a die VI menses Augusti huius anni, in Transfiguratione Domini Nostri Iesu Christi.
- Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrareis quibuslibet non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die II menses Maii, in festo s. Athanasii Pontificis et Doctoris, anno MDCCCCLXVII, Pontificatus Nostri quarto.*

\* AAS 59 (1967), pp. 385-390

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana